

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* 4 \*



- I. Paraphrasis Psalmi LXXXII M. Zachariae Wennenezeri
- II. Psalmi Davidici 121. 91. 125. 124. Gregorij Bersmanni.
- III. Oratio de Christo recens nato Joachimi Flemingi
- IV. Lessius Casareus Cyriaci Herdesiani sup obitum Rudolphi Imperatoris
- V. Soteria Dn. Johanni Georgio Saxonum Duci Academiae Wittebergensis.
- VI. Votivus applausus Dn. Hug: Principi Anhaltino administrationem principatus Cisalpinii suscipienti Frederici Theodori Gorlicio
- VII. Theophrastus in qua ad Dn. Augustum Principem Anhaltinum Thomazij causa servestam nerezum M. Petri a Jena.
- X. Epithalamium Marci Frederici Wendelii ad Dn. Augustum Ducem Brunovicensem.
- II. Epithalamium ad eundem principem Jani Cremeri.
- III. Ecloga Gregorij Bersmanni Rudolpho Principi Anhaltino sponso scripta.
- XI. Theophrastus in qua ad Dn. Rudolpho Princ: Anhaltino scripta a Collegis Scholae Servestanae.
- XII. Epicedium in obitum Dn. Rudolphi Princ: Anhaltini Abrahami Cremeri.
- XIII. Strena Poetica Christophori Heroldi.
- XIV. Querele Saravictoris et Biomea.
- XV. Gregorij Bersmanni in pontem sablicium Debaensem Carmen Ξρασμασιων.
- XVI. Joachimi Flemingi Piculum Scholasticum.
- XVII. Abrahami Vrici Diagrapha Laboris Scholastici.
- XVIII. Coronis Collegio Disputatorio et Oratorio imposita.
- XIX. Typus Depositionis Scholasticae Frederici Widebrami
- X. Bulla Amuletum M. Bloey.
- CI. Oda honoribus Dn. Danielis Burchardi Dn. Johannis Christophori Hartmanni. Dn. Philippi Meudligeri. Dn. Matthaei Coleri Doctorum scripta.
- XXII. Gratiarum Actio M. Johannis Copperij post Magistrum autum pronuntiata.
- XXIII. Ξρασμασιων Cerevisiae Servestanae Danielis Burchkereri.
- XXIV. Dehortatio a Calumnijis
- XXV. Germania ad Principem epistola Ad: Martino Pratorio.
- XXVI. Votum Scholae Vesaliensis
- XXVII. Theophrastus in qua ad Dn. Johannem Stunium.
- XXVIII. In honorem Magistrum Dn. Johannem Guac
- XXIX. Trizinta Jeverum M. Christiani Galli Italio-Saxonis.
- XXX. Adami Forweroy Frederici Steseris Ernesti Wulstorgij.
- XXXI. Eorundem
- XXXII. Juvenum 37. M. Theophili Carisseri
- XXXIII. Johannis Cremeri.
- XXXIV. In honorem Notarii Valerij ni Gelani.
- XXXV. Strena anagrammatum quadrifida Christophori Heroldi.
- XXXVI. In nuptias Dn. Wolfgangi Amlingi 4. V. D.
- XXXVII. Eiusdem Johanni Amlingi Nicolai May.



In Honorem

Viri Reverendi, Humanissimi, Do-  
ctissimi

DN. IOHANNIS HEINEMANNI,

Ecclesiae Christi, quæ colligitur in pagis

Deetz & Badevitz Substituti

Fidelissimi, SPONSI

*Nuptias*

Cum

Virgine Lectissimâ, Pudicissimâ

CATHARINA

Viri item Reverendi, Humanissimi, Do-  
ctissimi

DN. JOHANNIS MATTHIAE

Ecclesiae ejusdem Pastoris meritissi-  
mi Filiâ unicâ

*Celebrantis Serbestæ*


IIIX. Januar. ANNO Clj. IjC. XXI.

*Carmina scripta ab Amicis,*

SERVESTÆ

Apud Zachariam Dörfferum,

ANNO M. DC. XXI.



Ad Rev. Dn. Sponsum.

**D**Ent alii argentum, ut mos est, dent aurea dona,  
Dent lepores, quibus est copia dives opum.  
Eruo saxosis ego non è montibus aurum,  
Immisis canibus nec lepores agito.  
Non igitur me ferre tibi preciosa metalla,  
Vota sed hæc constans mittere jussit amor.  
Qui primis letos Sponsis adflavit honores:  
Ille sit ò vestri pulcra coronatori!  
Efficiatq; novæ ne fiant tædiatædæ:  
Nec dulcis thalami tristis amaror amor!  
Hæc si contingent vobis, vi Numinis almi,  
Cum Sponsâ lectâ, Sponse, superstes eris:  
Donec ovans equitare tuos in arundine longâ  
Parvulus incipiat JANVLVS ante pedes.

Abrahamus Cremerus  
Ecclesiæ Lindoviensis  
Pastor.

Ad Reverendum & Doctissimum

**Dn. JOHANNEM HEINEMANNUM**  
**SPONSUM.**

▲ 2


Exces-

**E**Xcessit annus jam vetus, & modo  
Fausto auspicamur Numinis alite  
Annum, ô si, quod precamur  
Faustus hic omnibus eveniret.  
Præsente Solis principio novi  
Moliris ausus præco DEI novos,  
Et comparem ambis, procreatam  
Eximio & genitore claro.  
Quâ dum potiris, lætitia exilis,  
Totusq; gaudes, quippe DEO patri  
Visum, ut cum ea serò futuræ  
Tempora conficias senectæ.  
Et bella quanquam Mars ciet effera,  
Atq; arma clangunt per mare, per solum:  
Ast nil tuum quit præpedire  
Numine propositum juvante.  
Nam quos DEI vis provida copulat,  
In hisce terris quæ diriment vices?  
Hoc ergo autore incoabis  
Continuabis & hasce tædas.  
Heinmane segni subtrahe te moræ,  
Et fortiter post perfice, quæ tui  
Sunt muneris, sed quæ maritis  
Sunt opera expedienda castis.  
Nam casta mens est Rex superûm, DEUS,  
Et mente castâ, pectore supplice

Vult

Vult invocari, conjugesq;  
Vivere vult in amore casto.  
Hæc castitas est maxima, & optimæ  
Est castitatis nobile præmium,  
Spectare proventu affluente  
Ex socia sobolem marita.  
Hoc ergò pacto vivite conjuges,  
Breviq; fructus edite, liberos,  
Et filios & filias: ut  
Matris in his patris os in illis  
Facillimè noscatur ab omnibus,  
Interq; vos pax candida floreat,  
Amorq; concors, dum sororum  
Fila trium patientur atra.

M. Martinus Cramerus  
fac.



Reverendo atq; Doctissimo

DN. SPONSO,

Commilitoni olim suo  
amicissimo.

**S**ic est: Auspiciis novi  
Anni optasse probos candidioribus,  
A 3 Cum

Cum sanoq; sibi, prece  
Alternâ, columem corpore spiritum,  
Pridem Romulidum fuit,  
Est mos Christicolûm temporis id pius.  
Strenam jungere tesseram  
Votorum, proprii res erat arbitri.  
Ignaris quoq; parvulis  
Cum primis Patrimos muneris hoc dare,  
Nostris obtinet hætenus  
Germaneq; aliis in Patria locis.  
Siquis δωρεῶν, cui  
Has liquisse fuit fas pueris nuces,  
Infantem simulat rudem  
Et strenas etiam grandior expetit,  
Hui! quid? strena homini amplius?  
Est huic danda mari femina nubili.  
Et Tu, fortè frequentius  
Quondam, SPONSE, puer parvulus abs  
Susceptore, domum gravi (tuo  
Portâsti cophino poma, nuces, pyra?  
Dignum Te puero quidem  
Donum! Ecquid juvenem? quid virum?  
Ambire baud puduit diu? (idem quoq;  
Ergo danda viro femina nubili.

Pol

Pol scitè patrimus Tibi  
Pro strenâ propriam Filiolam locat!  
*Aptum munus Et id viro,*  
*Sumendum gemino (ne mora) pollice.*  
*Eccur protinus haud capis?*  
*Eccur distuleras ducere adhuc domum?*  
Regum, credo, die trium  
*Te Et mansura putas regia munera?*  
*Insignis fuit error hic,*  
*Et risum meritis densaq; sibila.*  
*Cur myrrham peteres? Tibi*  
*Purum mel potius sit CATHARINULA.*  
*Cur aurum peteres? Tibi*  
*Auro vel Lydio sit preciosior.*  
*Cur Et thus peteres? Tibi*  
*Quovis thure fiet gratior Et rosâ.*  
*O sirenam egregiam, satis*  
*Toti, dante Deo, Mundo adamabilem!*  
*Non hanc invideo, magis*  
*Mirans, grator Ego Pectore nuptias.*

cum

Feliciores Anni novi auspicio  
conjugium felicissimum  
apprecatur

M. Ernestus VVulstorpius S. A.

Ad



*Ad*

Reverendum atq; humaniss.

virum juvenem,

DN. JOHANNEM HEINEMANNUM

verbi Divini ministrum &c.

SPONSUM.

**E**st aliquid, pie Sponse, celebri stemmate nasci,  
Et clarâ clarum ducere stirpe genus.  
Est aliquid flavi cumulasse sibi æris acervos  
Præ reliquis magnos, & tenuisse sibi.  
Ast longè superant, sua quos industria magnos  
Efficit, & morti subjacuisse vetat.  
Noctes atq; dies sacris incumbere chartis  
Scilicet una tibi magnaq; cura fuit.  
Testis eris mecum Schola patria trivialis, testis  
Publica, quæ juvenem, quæ instituitq; virum,  
Testis & Aonidum pia sedes, incluta tellus,  
Dantiscum, testis piscifer ô Viader!  
Magnum igitur, Vir magne, tibi sudore parasti  
Haud parvo munus, munere JANE DEI.  
Præco Dei verbi factus, cui Nectaris instar  
Dulcis honorato profluit ore sonus,  
Lætor ovans, tantoq; tibi de munere grator,  
Mortales monitis ut faveantq; precor.

Lætor

Lætior exulto, te quòd fovet inclutus ardor  
Conjugii, atq; dein te altera cura subit.  
Cura Dei verbo cuivis injuncta, salubris  
Cuivis, qui huic præbet colla premenda jugo.  
Ducis enim teneram formâ præstante puellam,  
Quâ cum perpetuò vivere velle paras.  
Est hæc nata bonisq; probisq; parentibus orta,  
Ambo spectatâ qui pietate cluunt.  
Hi docuêre suam ceu gnaviter optima natam:  
Sic illi magna, hæc discere, cura fuit.  
Emicat hinc vultu pietas, moresq; decori,  
Pectoris exemplar candidioris habent.  
Hinc est, quòd solitos peragit studiosa labores,  
Dum vel pingit acu, vel trahit ipsa colum.  
Hæc datur ex alto multis è millibus una  
Cui? SOLI JHOVAM qui reverenter habet.  
Gratulor ergò tibi de tali virgine, Sponse,  
Munere concessum grator utrumq; Dei.  
CHRISTE novis Sponsis præsto sis, ipse precorq;  
Conjugium ut felix sit, maneatq; diu.

Cum appreciatione felicis novi  
anni auspicii fac.

M. Christophorus Nettelbecius B. A.

ALIUD.

**D**ispercant omnes, socialis foedera lecti  
Qui prohibent: igitur Papa recede procul.

B

PAPA

Papa recede procul, raji de gente sacerdos  
Appage te, thalami qui sacra jura vetas.  
Ite cuculligeri fratres, procul ite, perite:  
Res sacra conjugium est, res placet ipsa Deo.  
Hic etenim casti primus fuit auctor amoris,  
Casta Deus mens est, casta probatq; Deus.  
Ergo ritè facis, sponse ô doctissime sponse,  
En possum verè dicere, ritè facis,  
Dum tibi connubio stabili conjugis amicam:  
CATHRINAM, Sponsam JANE verende,  
Conatus hos ergo tuos ego laudo, jehova (tuam.  
Fortunet, cedant omnia fausta, precor.

Vovebar.

Johan: Ummendorpius  
Junior S. A.



VOTVM

AT quæ vota tibi Sponse ô dulcissime fundam:  
Dum tibi felici fidere Sponsa datur?  
Sacris JOVA DEUS tædis his ergo benignus  
Adsis: & Sponsis pronubus esto novis.  
Et Tu qui curis alternis bina ligasti  
Pectora, jam Sponsis, CHRISTE, faveto piis.

SPI

SPIRITUS ALME fave nexu duo pectora junge:  
Te jungente procul turbida cedit Eris.  
Hæc mea vota DEUS cœli terræq; creator  
Firmet, sic thalamo fausta futura precor.

*Scriptum*

*animatus*

à

*Laurentio Fauchio  
Silesio.*



B 2

SPON-

SPONSUS AD SPONSAM.

**H**uc huc veni CATHRINA,  
CATHRINA pulcra Sponsa,  
Huc huc veni citata,  
Morata, & educata

In Sanctitate vita,  
In castitate, casta  
Pudicior Susanna,  
Venustior Rebecca,  
Formosior Minerva,  
Præclarior Diana,  
Junone Pulcriorq;  
Huc o veni Columba,  
Mea amabilis Columba,  
Venerabilis Columba,  
Placabilis Columba,  
Spectabilis Columba,  
Huc o veni libenter,  
Nec non meis frequenter  
Sermonibus, meisq;  
His gestibus fruare,  
Amplexibus fruare,  
Et osculo fruare,  
Meo osculo suavi,  
Meo osculo minaci,  
Meo osculo rapaci,  
Meo osculo procaci,  
Totiq; me fruare.  
O Catharina blanda,  
Consortis mei vocanda,  
En in tuum paratum  
Torum ire sum paratus.

Te sponsulam tenellam,  
Te sponsulam novellam,

Te sponsulamq; bellam  
Ex millibus quod te unam,  
Ex omnibus quod te unam,  
Vita mea levamen,  
Legens mihi dicavi,  
Lubensq; consecravi.  
Qui te meam subinde  
Amasiam vocabo,  
Qui te meam subinde  
Amiculam vocabo,  
Oviculam vocabo,  
Apiculam vocabo;  
Qui te meam subinde  
Glycerium vocabo,  
Et corculum vocabo,  
Et melculum vocabo;  
Qui te meam salutem,  
Qui te meamq; vitam,  
Anima mea q; florem,  
Subinde nominabo;  
Qui te meos amores,  
Qui te meos lepores,  
Qui te meam Dionem  
Subinde nominabo;  
Qui te meam subinde,  
Columbulam vocabo,  
Columbulam loquacem,  
Columbulam dicacem.

Nobis erit perennis

Duobus una vita,  
Nobis erit perennis  
Fides, amor duobus,

Doleo.

Dolor unus, una cura:  
Sortemq, quae premit te,  
Tuam meam, putabo,  
Sortemq, quae premit me,  
Meam tuam putabis;  
Me jugiter tu amabis,  
Me prole tu beabis,  
Ex te mihi jatus sit  
Perbellulus puellus,  
Puellulus tenellus,  
Puellulus politus,  
Puellulusq, scitus.  
Famella sit vé bella,  
Famella blandicella,  
Famella mollicella,  
Mi dulcis usq, melle  
Proles magis sit illa.  
Huc ergo Catharina  
CATHARINA pulcra Sponsa,  
Huc huc veni citata,  
Huc huc veni vocata.

SPONSA AD SPONSUM.

**A**dsu[m] vocata, Sponse,  
Adsu[m] citata, Sponse,  
Adsu[m] tibi dicata,  
Adsu[m] tibi parata,  
Adsu[m] tibi, grata.  
Communicabo tecum  
Quod postulas, ocelle,  
Communicabo tecum  
Quod flagitas, ocelle,  
Communicabo tecum,  
Quod me rogas, ocelle,  
Communicabo tecum

Quod quaeritas, ocelle,  
Communicabo tecum  
Tum quidquid est amorum,  
Communicabo tecum  
Tum quidquid est leporum,  
Et quidquid est ubivis  
De more liberali,  
Et quidquid est ubivis  
De lege nuptiali,  
Communicabo tecum.  
Heus me tibi dicendam  
Jam, blande sponse, Sponsam;  
Sponsam tuam tenellam,  
Sponsam tuam novellam  
Sponsam tuamq, bellam,  
Uita tua levamen  
Haut nuncupas iniquè.  
Amasiam vocas me,  
Amiculam vocas me,  
Apiculam vocas me,  
Me nominas Columbam;  
Loquaculam columbam,  
Dicaculam Columbam,  
Beatulam Columbam.  
Ego sed meum vicissim  
Vocabo te Columbum,  
Appellitabo Sponsum,  
Et nominabo corclum,  
Paterculum vocabo,  
Fraterculum vocabo,  
Te lilium vocabo,  
Vocabo turturillum,  
Et nominabo ocellum;  
Amasium novellum  
Subinde te vocabo.

Dabo

Dabo & tibi, Columbe,  
Tot basiationes,  
Tot suaviationes,  
Tot osculationes;  
Quot in polo videntur  
Stella micantiores,  
Quot in solo videntur  
Nymphae elegantiores,  
Quot in vago tenentur  
Pisces salo minores  
Piscesq; grandiores.

At tu Columbe blande,  
Communica vicissim  
Tot osculationes,  
Tot basiationes,  
Tot suaviationes  
Mibi, tua columbae.

Vin' amplius quid addam?  
Eris Corona fulgens  
Mibi, micansq; gemma,  
Tu non mihi gravamen,  
Sed dulce tu levamen,  
Et eris mihi iuvamen.  
Animi mei corusca  
Lux, & domus columna  
Dulcis columbe, dulcis  
O Nymphae, gaudium tu  
Meum unicum futurum,  
Vel Cynthio micante,  
Vel Cynthio tonante,  
Vel sorte nos fovente,  
Vel sorte nos premente,  
Vel zoilo premente,  
Vel zoilo fremente.

Sed amplius quid addam,  
Dilecte Sponse, dicas?

Num canitabo laudes  
Tuas? tuasve dotes?  
Num pradicabo mores  
Cultos tuos? tuam num  
Canam eruditionem?  
Canam tuamq; famam?  
Non partium mearum  
Est hoc, decet nec haec me,  
Hec concinent satis plus  
Vates acutiores,  
Vates disertiores,  
Vates politiores,  
Vates peritiores,  
Venae elegantiori,  
Venaeq; faustiori,  
Venaeq; cultiori,  
Venaeq; dulciori  
Ornati in orbe Vates.  
Quid ergo? Verba rumpens  
Hoc ultimum rogo te,  
Tu blandus usq; conjux  
Sponse mihi maneto,  
Ego tibi vicissim,  
Perblanda ero marita,  
Marita ceu rogata,  
Marita sic probata,  
Ero tibiq; semper,  
Quies tui laboris,  
Fomes tui caloris,  
FJNJS tui doloris.

Ludebae  
Paullus Alberti  
Illustris. Principum  
Anhaltinorum be-  
neficiarius.



DAVID

FRIBERG

ANNO 1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711

1711





Id 4206  
g

ULB Halle

3

004 167 287



f  
56

Sik. 18 u. 25 nicht in FICA,  
da Hschr. +90


8-14


24 VD 17

10. Aug.  
Jul. 01

M







fferum,

C. XXI,

ritissi-

THIAE

timi, Do-

Amâ

NEMANNI,

itur in pagis

tuti

simi, Do-

